



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Joannis Pierii Valeriani Bellunensis Hieroglyphica, Sive De
Sacris Ægyptiorum Aliarumque Gentium Literis,
Commentariorum Libri LVIII**

Valeriano, Pierio

[Lipsiae] ; Francofurti Ad Moenum, 1678

Cochlea.

urn:nbn:de:hbz:466:1-14259

Arint, magna clade radices abrodentes: quare Divinatrix apud Theocritum dicitur. Cum enim apparuerit, famis est prænuncia. Multa Locusta hujus significata ponit Eucherius, sed quoniam nullam super illis causam addidit, in quo nos præcipue versamur, ea prætermittenda judicavi: unum illud tantum tangam, quod per comparationem Resurrectionis Dominicæ similitudo quædam sit, cum assultum Philo dicat per Locustam significari: nullum enim è terrestribus animal tanta se pernicitate proripit in saltum, si corpusculi rationem habeamus. Sed hæc alii viderint.

PEDES. CAP. LVII.

Invenies in Divinis literis aliud Locustæ hujus hieroglyphicum, ut apud Salomonem Ecclesiaste, pro Pedibus poni, eo quod animal id pedum longitudine pro corporis modulo omnia excedit animantia. Scriptum igitur: *Florebit amygdalum, & impinguabitur Locusta*: hoc est, supervenient cani, & pedum accedet tumor, podagra scilicet, quæ plurimum atatem grandiozem infestat, quod nos à sexto supra quinquagesimum quatuor jam annis non sine cruciabili dolore, acerbissimaque studiorum jactura cogimur experiri, hæreditate hoc ab avunculo relicta, & una cum accepto ab eo sacerdotio miserabiliter alita. Alibi tamen Salomonis verba ex Hebraico codice diligentius examinavimus, quod super his varia est multorum interpretatio.

DE COCHLEA. CAP. LVIII.

Addetur his Cochlea, inter esculenta piscium vice pauperibus accepta: quæ tamen olim altitils effecta, illataque mensis, Romanas delicias auxit.

TERRENIS ADDICTUS. CAP. LIX.

Per eam divinæ lectionis interpretes fere omnes animum terrenis affectibus mancipatum intelligunt, inde similitudine libenter sumpta, si quem sensui deditum, ut voluptatibus brutorum instar in hæsitantem ostendere voluerunt. Hesiodus eam felici compositione *Φερόικον* appellavit, quam domiportam dicere possemus, quod ita sit domui suæ applicata, ut eam secum assidue portet.

*Ad hoc for-
san. facit
Plutar. in
lib. de amo-
re divitiarum.*

DE SEPIA. CAP. LX.

Sepiam quidem inter crustacea recensere minime congruum videbatur: quia tamen dorsum ofleo illo integumento instar clypei munitum habet, huc ipsa etiam transferetur.

PULCHRA IN COEPTA TURPITER CEDENTIA. CAP. LXI.

ID vero præcipuum super Sepia significatum apud Ægyptios sacerdotes erat, ut per eam significarent hominem, qui multa, pulchra & magna polliticus, daturus omnino speciosa virtutis exempla videbatur, & per summam inde ignominiam fœde lapsus, omnium fefellerit expectationem: ea enim cum spectandam se venatoribus præbuerit, simulatque in se acie instrui conspexerit, & classicum cani, atramentum in aquas evomit, quibus infectis, demptaque ita venatoribus congregiendi copia, elabatur. Quod si inter fugiendum acciderit, ut aperto iterum campo deprehendatur, statim in effusam atramenti nubem se recipit, atque ita sæpius ac idemdem frustratur venatoris spem nullam sui facta copia ut deprehendi possit, idque non in congressu tantum facit, sed plerumque etiam ludenti studio quodam, atque etiam insidiandi. Effundunt vero suum atramentum & Polypus & Loligo quam vulgo piscem Atramentarium vocant: verum ii non nisi metu percussis, Sepia vero non modo cum metuit, verum, uti dicebamus, animi interdum gratia. Ei vero atramento tanta vis inest fuliginis, ut si in lucernam addatur, summotis reliquis luminibus, adstantes omnes fœdo livore coloratos ostentet, ut Æthiopes videantur.

*Κοκλίσ
βίβλ.
Cochlea
vita.*

*Hæc Plin.
lib. 9. c. 29.
Hinc Horat.
in Ser. Hic
nigra succu
lolligine.*

THETIS, ET SIMULATIONUM INVOLUCRIS ORTECTUS. CAP. LXII.

Hujusmodi vero occultationis causa confictum à Græcis crediderim, Thetim in Sepiam commutari solitam, dum vel eluderet, vel serio fugitaret Pelea illam insequentem. Nam & promontorio cuidam in Jolco Sepiadi nomen inditum, ubi factum hoc perhibent. Ita deniq; hominem, qui

*Nat. Com.
Mythol. lib.
8. cap. 2. ex
Zen. histor.
Ab Chilz.*